



DISPUTATIONVM THEOLOGICARVM  
IN  
AVGVSTANAM.  
CONFESSIONEM

SECVND A  
QVÆ EST  
IN ARTICVLVM PRIMVM

DE  
DEO VNO ET TRINO

QVAM  
IPSIVS OPE  
PRÆSIDE

HENRICO RIXNERO  
S. THEOL. DOCTORE, EIVSQVE  
PROFESS. PVBL. ET OR-  
DINARIO

IN JULEO MAGNO

AD DIEM V. JUN.

PVBLICE SVSTINEBIT

FRIDERICVS WILHELMVS MADERVS

JOA. JOH. F. SCHENINGENSIS.

— (O) —

HELMÆSTADII,

Typis HENRICI DAVIDIS MULLERI Acad. Typ.

Anno MDCC LXXV.

T 160





AVGVSTANVM  
GONFESSIEM

DEO VIVIT TRINO


IN KRISTO PATERO





DISPUTATIO SECUNDA  
IN AVGVSTANÆ CON-  
FESSIONIS

ARTICVLVM PRIMVM  
DE  
DEO VNO ET TRINO.

onfessio in Articulo hoc primùm ortho-  
xam thesin constituit, & *Decretum Nicenæ Sy-  
nodi de Unitate essentiā divina, & de tribus Per-  
sonis verum, & sine ulla dubitatione credendum esse*  
docet; ac dehinc ad antithesin, & condemna-  
tionem hæresium progreditur. Initium au-  
tem non sine gravi causa à primario isto doctrinæ Christianæ  
capite facit. Impactum enim passim fuerat Protestantibus,  
præsertim in Hispania, pestilentissimas eos hæreses invehere,  
& summa religionis mysteria, ac inter illa SS. Trinitatem, & fi-  
dem in Deum convellere & negare: id quod Alphonsus Wal-  
desius, Caroli quinti Cancellarius Hispanicus, Philippo Me-  
lanchthoni in Comitibus Augustanis narravit, sicuti videre est  
tomo v. Jenensi Germ. Lutheri. Ut igitur immanis calumnia pag. 26.  
mature dilueretur, visum confessoribus fuit, in ipsa fronte ca-  
tholicam suam de Deo & S. Trinitate sententiam collocare  
ac exponere, & compendii ergo ad Concilii Niceni decre-  
tum provocare. Quem proinde articulum Cæsar & alii  
Ecclesiæ Romanæ addicti Principes *acceptandum, & per omnia*  
*ad normam fidei compositum esse, in Censura sua judicarunt.*



II. Synodus Nicena, prima illa Universalis, quam Confessio allegat, à Nicea, urbe Bithyniæ, ubi celebrata fuit, nomen habet. Coacta verò præcipue adversus Arium, Presbyterum Alexandrinum in Ægypto, ejusq; complices, jussu ac auctoritate Constantini Magni, Imperatoris, anno seculi quarti vicesimo quinto, confluentibus illuc ex Europa, Africa & Asia recentis decem & octo Episcopis, ac fidem Christianam ex Scriptura valide asserentibus; quemadmodum hæc ex Eusebio lib. III. de Vita Constantini cap. VI. ac seqq. Epiphanio hæc. LXIX. & extremo Ancyranis; Sulpitio Severo lib. II. Historiæ Sacræ cap. L. Socrate lib. I. Hist. Eccl. c. V. Theodoro lib. I. c. VII. Sozomeno lib. I. c. XVI. & seqq. Cassiodoro Historiæ Tripartitæ lib. II. c. I. seqq. Nicephoro Callisto l. VIII. Histor. c. XIV. ac nonnullis subsequentium, nota sunt.

III. Decreti, in Synodo illa conditi, nomine Confessio Symbolum Nicenum designat; ac dubio procul auctius istud, quod Constantinopoli in Concilio Oecumenico, anno LXXXI. seculi IV. imperante Theodosio I. ediderunt centum quinquaginta Patres; quia videlicet Nicenum, in ipsa Nicea scriptum, partim secundo, partim & cum primis tertio articulo, aliquantò videretur concisius, eoq; additiones nonnullas requirere: cujus quidem formulam Cyrillus Alexandrinus epistolâ X. ad Nestorium, Socrates Hist. lib. I. c. VIII. Theodoretus lib. I. c. XII. Tripartita l. II. c. IX. Haymo lib. IX. Historiæ Eccles. cap. III. (nisi quod hîc particula ista: *Et in* pag. 56. *Spiritum Sanctum*: desit;) & Codex Canonum Ecclesiæ Africanæ, recitant. Nicenum alterum, Constantinopoli propter Macedonianos, divinitatis Spiritûs S. hostes, auctario ampliatum (unde Constantinopolitanum vocatur) priore illo jam olim magis in usu fuit, ut quod jussu Damasi I. Papæ, testibus Platina in Vita ejus, & Innocentio tertio lib. II. de  
Sacro



Sacro Altaris Myfterio cap. XLVIII. nec non auctoritate Synodi Toletanæ III. can. II. passim per ecclesias in Liturgia caneretur; quemadmodum & hodiernum apud Pontificios in Officio sacro, & in nostris ecclesiis lectâ pericope Evangelicâ cantatur. Quod ideo frequenter Niceni nomine comprehenditur, tum quòd major sit Synodi Nicenæ, quippe omnium generalium antiquissimæ, auctoritas; tum quia cuncta prioris Symboli in Constantinopolitano expresse continentur, & quidquid in isto appositum, id *διωάμεν* insit in illo: quas causas Gerardus Johannes Vossius recenset Dissert. III. de Tribus Symbolis cap. VI. VII. Omnino itaque Confessio Symbolum istud Nicenum, cujus usus tunc in Ecclesia Latina erat, & antea quoque fuerat, hoc est, Nicenum auctius & perfectius, sive Constantinopolitanum, intelligit.

IV. Notanter dico: *In Ecclesia Latina*: quamvis enim Græca quoque Symbolo isto pridem utererur, ac exemplo Latinorum in Liturgiam etiam admisisset (hoc videlicet non Latini à Græcis, uti vulgo putatur, sed hi ab illis acceperunt) non tamen cuncta sic ut Latina interpretabatur: nam quod Patres Constantinopolitani processionis Spiritûs S. à Filio mentionem in Symbolo hoc diserte non fecissent, temporibus sequioribus ita id in Ecclesia Græca acceptum fuit, ac si illorum sententiâ processio ista ex solo esset Patre, non etiam ex Filio: quanquam sane qui Spiritum S. à Patre procedere confitentur, eo non confestim Filium excludunt, perinde ac missionem ejus non negant de Patre, qui à Filio mitti docent. Quicquid autem sit, tam altas sensim persuasio de istâ Symboli sententiâ, & ipso processionis S. Spiritus à solo Patre dogmate, radices in Oriente egit, ut oppositum pluribus retro seculis prorsus rejecerint, & in hunc usque diem abominentur Græci, ac hos secuti Armeni, Rutheni, & Mosci. Contra perpetua fuit atque constans Latinorum assertio, pro-



cedere Spiritum S. etiam à Filio, illamque doctrinam Symbolo Constantinopolitano non adversari: quæ ut perennaret, tandem lemma istud: *FILIOQVE*: ab illis Confessioni isti insertum. Ac in Hispania quidem, præterquam quod nonnulla Concilia Toletana, nempe *Primum* ineunte seculo quinto; sequente verò *Quartum, Sextum & Undecimum*, in declaratione Fidei catholicæ, processionem Spiritûs Sancti à Filio definiunt; atq; antea in *Tertio* episcopi primoresq; Gothicæ gentis distincte eam confessi sunt; *Octavum*, eadem ætate celebratum, Symbolum ipsum cum additiuncula ista exhibet: quæ postea à multis quoque Galliæ, Italiæ & Germaniæ ecclesiis adscripta ei fuit, Græcis propterea indignantibus & acriter contentibus.

V. Porro, sub initia seculi noni, Carolo M. regnante, Synodus Aquisgranensis doctrinam hanc non approbavit modò, sed etiam Leoni III. Pontifici Romano Symbolo addendam per Legatos proposuit; qui utut dogmati ipsi assentiretur, additionem tamen istam, tanquam certam litium inter Orientales & Occidentales resuscitandarum materiam, dissuasit, & urgentibus licet Legatis, Symbolo indere noluit, quin potius hocce integrum *Romæ transcriptum in tabula argentea, post altare beati Pauli posita, posteris reliquit, pro amore, ut ipse ait, & cautela fidei orthodoxæ: in quo quidem Symbolo, in processione Spiritus Sancti solus commemoratur Pater, his verbis: Et in Spiritum Sanctum, dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio coadorandum & glorificandum.* Quæ Petrus Lombardus consignavit lib. i. Sentent. dist. xi. cap. ii. In Romana igitur ecclesia temporibus Leonis illud *FILIOQVE* Symbolo nondum fuit appositum. Accessit autem deinceps, incertum quando & quo Pontifice. Hoc vero extra dubium, Græcos quàm ægerrime id tulisse, & propterea longius tum recessisse à Latinis, accensos non  
tam



tam quidem dogmatis invidia, quàm Papæ illius Romani præsumptione, qui ausus esset Concilii Oecumenici Symbolo citra Synodum generalem, & inconsultis Orientalibus, aliquid controversi appendere. Nam hanc demum veram fuisse schismatis causam Nilus, Archiepiscopus Thessalonicensis, arbitratur paulò à principio libri de Causis Dissensionum in Ecclesia, his ipsis verbis: *Uti ego quidem existimo, non est dogmatis sublimitas, vel simile aliud, — dissidii hujus causa, sed quod questio non sit communi Oecumenica Synodo definita, nec facta ejus solutio secundum antiquam Patrum in talibus consuetudinem; verùm quod Romani magistri controversiæ istius iudices sedere, alios verò ut discipulos dicto audientes habere cupiant.* Scilicet, quemadmodum Bessario, Archiepiscopus Nicenus, Sessione quarta Concilii Ferrariensis dissertavit, *firmiter credunt Græci nil addere Symbolo licere, neque novas sententias, neque etiam dictiones aut alia verba; sine universalis nimirum Concilii decreto: & Petrus Antiochenus ait epistolâ ad Michaëlem Cerularium, apud Baronium tomo xi. Annalium ad an. c10 LIV. illos, qui Symbolo aliquid addunt, vel auferunt, anathemate damnari: quanquam Latinorum responsio sit, nihil revera Symbolo à sese additum, sed insertam solum aliquam Processionis explanationem; quod se clarissime probaturum, Græcis eâdem Synodo Ferrariæ promisit Andreas Colossensis: quâ, ut ante quoque non semel, conciliatio disidentium istarum partium tentata, & aliquousque deducta fuit, sed sine solido mutuæ fraternitatis ac communis doctrinæ vinculo; id quod eventus docuit.*

VI. Interim quemadmodum suæ Græci sententiæ, sic & suæ Latini fuerunt tenacissimi, neque hi adduci poterunt, uti semel Symbolo insertam sive additionem sive explanationem revocarent & inducerent. Quo postillâ factum ut toto Occidente Symbolum non nisi cum ea in ecclesia recitaretur,



citaretur, vel cantaretur. Augustana itaque Confessio, veluti modo diximus, Decreti Niceni appellatione illud Niceno-Constantinopolitanum designat, cujus usus tunc in Latina seu Occidentali Ecclesia erat, & quod processionem Spiritus S. à Patre *Filioque* confitendam proponit.

VII. Mox in Articulo summa Symboli istius traditur, quod nempe sit *de unitate essentia divina, & de tribus* in illa personis; ac rursus præcipua membri prioris capita, & substantiæ divinæ attributa, distincte recensentur: quorum alia negativa; ut, Deum esse *incorporeum, impartibilem, immensum*; alia positiva & quidem absoluta; ut, eum esse *unum, æternum, omnipotentem, sapientem, bonum*; alia denique positiva & relativa; ut, quod sit *creator & conservator omnium rerum, visibilium & invisibilium.*

VIII. Deum, seu substantiam divinam, esse, non ex Scriptura solùm, sed naturaliter quoque & ex principiis rationis cognoscitur. Unde Aristoteles I. de Cælo c. III. *omnes homines, Barbaros perinde ac Græcos, de Diis opinionem habere* scribit. Et Tullius, *in hominibus*, inquit, *nulla gens est neq; tam immanis, neq; tam fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat*, lib. I. de Legib. ante medium. Sed & Apostolus Rom. I, 19. 20: *Id quod de Deo cognosci naturaliter potest, manifestum est in ipsis (gentilibus) Deus enim eis generali revelatione manifestum fecit, animis illorum vi colligendi, ac per eam divina quadamtenus cognoscendi, inditâ: Ipsi enim invisibilia, jam inde à condito mundo ex iis, quæ fecit, mente perpensa pervidentur, æterna videlicet ejus tum potentia tum divinitas.* Hinc S. Irenæus I. II. de Hæresib. c. IX: *Ethnici Deum ab ipsa conditione (ex mundi fabrica) discunt. Ipsa enim conditio ostendit eum, qui condidit eam, & ipsa factura suggerit eum, qui eam fecit, & mundus manifestat eum, qui se disposuit.* Quo argumento jam ante beatum Doctorem & Apostolum ipsum  
usus



usus fuit Cicero medio libro 1. Tusculan. quaest. ac principio libri 11. de Nat. Deorum, ubi & Ennium in sententiam hanc allegat. Rursus capite 11, 15. epistolae istius Paulus docet, *opus legis Moralis, quae utique divina est, scriptum esse in cordibus ethnicorum, una testimonium reddente ipsorum conscientia, & cogitationibus sese mutuo accusantibus, aut etiam defendentibus.* In Actis autem Apostolicis cap. XIV, 17. *non passus est Deus, inquit ille & Barnabas, se esse expertem testimonii, bona tribuendo, dans nobis caelitus pluvias ac praestituta tempora fructibus perferendis.* Ut merito Avicenna dixerit, teste Philippo Mornæo libro de Veritate Religionis Christianae cap. 1: *Quicumque Deum aut Numen non agnoscit, non tantum ratione caret, sed etiam sensu.* Uti verò nemo sensu omni, ita nemo omni Dei notitia destituitur. Accedit internum sanæ mentis dictamen ac testimonium. Nam etiam in sceleratissimis quibusque conscientiae aculei: *quæ fontes ad Dei tribunal invitos pertrahit, & efficit ut pessimus quisque Deum iudicem maxime perhorrescat;* ait Petrus Molinaeus Tractatu de Cognitione Dei §. VII. Atque eò vere Cyprianus ante finem libelli de Idolorum vanitate: *Hæc est summa delicti, nolle agnoscere, quem ignorare non possis.* Falsa igitur est Fausti Socini cap. 11. Prælect. Theol. & Christophori Ostorodi Institut. c. 1. n. VI. sententia, Deum naturæ & mentis humanæ lumine cognosci non posse. Falsa item assertio Petri de Alliaco in 1. Sentent. post medium quaestionis III. rationem demonstrandi Dei per apparentia & res naturales, non esse evidentem, & probabilitatem non excedere.

IX. Quod ad attributa divina, uti in Confessione enumerantur, primo Deus *Unus* est, & quidem unitate numerica. Nam substantia infinite perfecta (quale prædicatum in conceptu Dei includitur) naturæ suæ distributionem prorsus respuit. Quo principio pro unitate Numinis adversus *παλθεϊας* Damascenus pugnat lib. 1. Orthod. Fid. c. V. nec non

E

Thomas



Thomas part. i. Summæ quæst. xi. a. iiii. & lib. i. contra Gen-  
tes cap. xlii. Deinde, ut Cyprianus loco citato ratiocina-  
tur, *unus omnium Dominus unus est Deus: neq; enim illa sublimitas  
potest habere consortem, cum sola omnem teneat potestatem. Ac in  
hoc rerum natura imperio, nisi unus fuerit, ad quem totius summæ  
cura referatur, universa solventur & corruent: quæ Lactantii  
sunt lib. i. Instit. c. iiii. Et talem Dei unitatem, numericam  
dico, tum Scriptura Sacra clarissime inculcat Deut. i v, 35. 39.  
vi, 4 xxxii, 39. Ps. xviii, 32. Es. xliv, 1. & 3. xlv, 5. 1. Cor.  
viii, 4. Ephes. iv, 6. tum ethnici saniores agnoverunt; è qui-  
bus nunc Platonem tantum audire lubet. Sic verò ille epi-  
stola xiii. ad Dionysium tyrannum: *Hinc disces tu, scribam  
ego serio nec ne: cum serio, ordior epistolam ab uno Deo; cum secus,  
à pluribus.* Tractat argumentum hoc præter scriptores re-  
centes Lactantius capite v. ejusdem libri, & Aristoteli quo-  
que sententiam eam tribuit: neque sane falso; nam unum  
numero Deum esse perspicue is docet in Metaphysicis lib.  
xii. cap. viii. & xii.*

X. Secundum Dei attributum est *Æternitas*, hoc est,  
definitore Boëthio lib. v. de Consol. Philos. prosa vi. *intermi-  
nabilis*, sive principio omni & fine carentis, *vita tota simul & per-  
fecta*, adeoque incommutabilis *possessio*: vel, ut eodem sensu  
Anselmus Cantuariensis cap. xxiv. Monologii, *interminabilis  
vita, simul & perfecte tota*, seu indivisibilis ac absoluta, & quidem  
tam ratione operationum quam substantiæ, *existens*: aut  
sicuti Richardus Victorinus lib. ii. de Trinitate cap. iv. *diu-  
rurnitas* seu duratio *sine initio & fine, & carens omni mutabilitate.*  
Nimirum Deus, tanquam entium perfectissimus, mutatio-  
ni nulli obnoxius est, aut esse potest, eoque in essendo & ope-  
rando deficere, vel temporis differentiis ac successioni subjici  
nequit. Hinc Augustinus serm. ii. in Psalmum ci: *Æterni-  
tas ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile. Ibi nihil est*  
*prate-*



*præteritum, quasi jam non sit, nihil est futurum, quasi nondum sit. Non est ibi nisi Est: non est ibi, Fuit & Erit.* Affectio ista de Deo prædicatur Gen. xx. 1, 33. Ps. xc. 2. Es. xliv. 1. xlviii. 12. lvii. 15. Thren. v. 19. Habac. i. 12. 1. Tim. i. 17. 1. Pet. i. 23. Apoc. i. 8.

XI. Tertio Deus *Incorporeus* sive immaterialis dicitur. Est enim Spiritus Joh. iv. 24. 11. Cor. iii. 17. Spiritus autem materia omni & corporea ratione caret, vel, ut Christus ait Luc. xxiv. 39. *carnem & ossa non habet.* Et licet in Scriptura passim membra Deo attribuantur, tamen locutionibus istis tantum captui humano consuli, & Dei operationes ac vim & facultatem indicari, notum est, & pulchre exposuit Johannes Damascenus l. i. de Orthodoxa Fide c. xiv. Errarunt igitur Audæani, seu Anthropomorphitæ, Lactantio dicti Anthropiani lib. iv. Instit. c. xxx. qui pravo locutionum talium intellectu, præsertim ejus, qua homo ad imaginem divinam creatus commemoratur, in Deo corpus, humano prorsus simile, finxerunt, sicuti est apud Epiphanium hæc. lxx. Hieronymum in Psalmum xciii. Augustinum hæc. l. Theodoretum lib. iv. Histor. Eccl. c. ix. Cassiodorum Tripartitæ lib. vii. c. xi. Nicephorum lib. xi. c. xiv. Erravit & Tertullianus, in Deo *corpus sui generis in sua effigie*, etsi non humani instar *effigiatum*, statuens libro adversus Praxeam c. vii. Quod ei etiam Augustinus adscribit hæc. lxxxvi. & errorem latiori corporis significatione, ad entitatem duntaxat & substantiam denotandam protensâ, velat & excusat. Recte Origenes libro i. *ὁ θεὸς δεξιῶν* cap. i: *Non aut corpus aliquod, aut in corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se adjunctionis admittens.*

XII. Quarto est Deus *Impartibilis*, i. e. non constans partibus ullis, neque quantitativis, neque essentialibus Physicis, & proinde in eas haut aptus dividi; quin positus extra omnem compositionem realem, sic ut nec accidentia, nec



intensionem vel remissionem, aut aliud simile admittat, non possit etiam loco ac duratione circumscribi & definiri. Notanter realem nomino compositionem. Quæ enim rationis dicitur, naturæ divinæ non adversatur. Innuit autem Confessio partium ac compositionis in Deo negatione Simpliciter ejus. Nam quicquid partes non habet realiter componentes, neq; alias reali compositioni substat, id simplex est, & quidem summe ac absolute. Atq; affectio hæc ex immaterialitate Dei, seu ex eo quod Spiritus est, & perfectissimus quidē, dependet. Unde eas Origenes modò conjungebat. Quæ autē Doctoris hujus de Simplicitate Dei, & quod in eum compositio realis non cadat, sententia est, eadem aliorum fuit Veterum, quos referre & dicta illorum adscribere longum foret. Vnum Irenæum audiamus lib. 11. de Hæres. c. xvi: *Multum distat omnium Pater (Deus) ab his, quæ proveniunt hominibus, affectionibus & passionibus, & simplex, & non compositus est.* E nuperis Conradus Vorstius tractatu de Natura & Attributis Divinis doctrinam istam temere impugnat, quem vicissim refellit Martinus Becanus parte 1. Theol. Scholast. tr. 1. cap. 11. & B. Hornejus part. 1. dispp. Theol. 111. sect. 11. n. XLIII.

XIII. Quinto Deus *immensâ potentiâ* sive omnipotens est: Gen. xvii, 1. Pl. xci, 1. Matth. xix, 26. Marc. xiv, 36. Luc. 1, 37. 11. Cor. vi, 18. Apoc. 1, 8. IV, 8. XII, 17. Potest enim efficienter quicquid contradictionem, & in ipso imperfectiorem non involvit. Hoc quippe solo sensu omnipotentia ei tribuitur. Licet igitur, ut Hieronymus ait epist. ad Eustochium, *Deus suscitare virginem non possit post ruinam; &* quod in genere Aristoteles ex Agathone docet vi. Eth. 11. *facta minime infecta possit reddere:* nihil tamen eo omnipotentia illius derogatur; quia ista mutuo se evertunt, & consistere ob terminos repugnantes nequeunt. *Quisquis*, inquit Augustinus lib. xxvi. contra Faustum c. v. *ita dicit: Si omnipotens est Deus, faciat,*



faciat, ut quæ facta sunt, facta non fuerint: non videt se hoc dicere: si omnipotens est, faciat, ut ea quæ vera sunt, eo ipso quo vera sunt, falsa sint. Licet etiam deficere, mori, peccare, errare & similia Deus nequeat; non propterea minuitur potestas eius: Sic enim hoc non potest, ut potius si posset, minoris esset utique potestatis; veluti iterum Augustinus de Civ. Dei lib. v. c. x. Nempe significat tale quid potentiam solum quantum ad modum dicendi; impotentiam autem à parte rei, sive revera; notante Bonaventura in primum dist. XLII. qu. II. ideoque non esset hoc in Deo potentia, sed infirmitatis. Si enim hoc posset, omnipotens non esset. Non ergo impotentia, sed potentia imputandum est, quod ista non potest. Quæ Magistri sunt verba l. i. Sent. dist. XLII. cap. III. Unde recte Anselmus lib. II. Cur Deus Homo cap. XVII: Quoties dicitur Deus non posse, nulla negatur in eo potestas, sed insuperabilis signatur potentia & fortitudo.

XIV. Sextum attributum divinum est immensa sapientia: quæ ex mundi hujus & rerum omnium creatione abunde elucescit. Jer. x, 12: Dominus fecit terram virtute sua; stabilivit orbem sapientia sua, & prudentia sua extendit cælos. Ps. CIV, 24: Quam multiplicata sunt opera tua Domine: ipsa omnia in sapientia fecisti. Neque tantum sapiens, verum etiam solus sapiens est, Rom. XVI, 27. I. Tim. I, 17. scilicet summe & simpliciter. Sapientia hujusmodi maximam accuratissimamque involvit rerum quarumvis scientiam, præsentium, præteritarum & futurarum; scientiam inquam secundum extensionem & intensionem perfectam. Hinc Deus omnia novisse dicitur I. Joh. III, 20. (quæ est notitia ratione extensionis perfecta.) Et Hebr. IV, 13. omnia nuda esse ac intime patentia oculis ejus perhibentur (quæ est perfecta quod ad intensionem & extensionem cognitio.) Ut qui immensam Deo sapientiam tribuit, eum hoc ipso simul omniscium dicat.

XV. Septimum attributum immensa bonitas est. Vo-



catur autem aliquid Bonum vel *entitative*, vel *in genere mō- rum*. Priori modo ens reale ac positivum omne, seu quicquid essentialem suam perfectionem habet, sive substantia sit sive accidens, sive materiale sive immateriale, seu animatum seu inanime, bonum est, ne ipso quidem dæmone excepto. Posteriori, quodcunq; virtute pollet, & secundum eam operatur. Utrâq; ratione Deus bonus est, sed sic, ut, cum etiam aliis gemina illa bonitas insit, ipse tanquam substantia prima, & prima causa, eam gradu supremo & independenter possideat. Observandum enim porro est, esse aliquid bonum vel *à se* & *vi naturæ suæ*, vel *ab alio*, & per participationem, idque tum respectu entitatis, tum ratione morum & virtutis. A se bonum dicitur, quod entitatem & virtutem suam non habet ab alio communicatam, verùm prorsus independentem. Qui summus & perfectissimus est utriusque bonitatis gradus, Deo soli competens. Bonum ab alio est, quod bonitatem suam priori & superiori debet. Quo pacto, si entitatem videas, creaturæ omnes; & si virtutem, homines præstantes, ac angeli sancti, boni sunt; licet horum virtus concreata & sublimioris ordinis sit, quam hominum, quippe quos, gratia divina peculiariter adjutos, post lapsum magna sollicitudine, nec minori operâ, virtutis habitum sibi comparare, & in rem ac exercitium transferre oportet, tum vero & diligenter cavere, ne quid recti operis omittant, aut pravi designent, habitu tamen illo & omni opere bono magnæ nihilominus imperfectioni obnoxiiis. Præterea bonum aliquid est, aut *in se*, & citra respectum; aut *alteri*, ac cum relatione, quod nimirum alterum perficit, sustentat vel juvat. Atq; hisce etiam modis bonus est Deus, bonitate iterum in gradu supremo accepta: nam aliàs & creaturæ tum in se, tum relative bonæ dici possunt, non verò summè. Quum Servator ait Matth. XIX, 17. Marc. X, 18. Luc. XVIII, 19: *Nemo est bonus, nisi unus, nempe Deus: bonitatem*



tatem independentem ac summam intelligit, spectatam & in se, & relative. Seorsim de Bonitate cum relatione ad alterum capienda esse patet ista Psalmi LXXIII, 1: *Profecto bonus est Israël Deus, mundis corde.* Et hæc Thren. III, 25: *Bonus est Dominus expectantibus eum, animæ quærenti ipsum.* Cæterum demonstratur insigne hoc attributum de Deo partim à priori, partim à posteriori. A priori, ex summa ac absoluta perfectione; deinde & ex convenientia ejus: Nam quicquid summe & essentialiter sive independenter perfectum est, nequit non esse summe & in se atque absolute bonum: & quicquid alteri convenit, ac perfecte quidem, itidem absolutam in hoc ordine bonitatem habet. A posteriori, ex appetibilitate ejus. Quod enim maxime appetibile est, est utique supremum bonum; quia appetibilitas est necessarium boni consequens, saltem relative summi & quod alteri tale est. Confer Thomam part. I. q. VI. a. I. & III. Gregorium de Valentia tom. I. disp. I. q. VI. puncto I. & II. Becanum Theol. Schol. parte I. tr. I. c. IV.

XVI. Denique Deo *creatio & conservatio omnium rerum, visibilium, sive corporearum, & invisibilium, seu incorporearum, ut angelorum, & animarum intellectualium, adscribitur: idque præeunt tota Scriptura Sacra.* Videatur Joh. I, 3. Rom. XI, 36. Coloss. I, 16. Apoc. IV, 11. Ps. CXLVI, 6. Jer. X, 12. Act. IV, 24. XVII, 24, 28. I. Tim. IV, 10. Hebr. I, 3. Conservatione etiam gubernatio omnium notatur: Neque enim ea probe conservaverit, qui debite non gubernet. Tali autem regimine & conservatione providentia divina absolvitur, quam proinde una ista voce recte Confessio nostra designat. Grandem hinc errorem erravit Plinius lib. II Historiæ Natur. c. VII. *irridendum dicitans, agere curam rerum humanarum illud, quicquid est, summum (Deum.)* Anne, pergit & causam effati reddit, *tam tristi atque multiplici ministerio non pollui credamus dubitemusve?* Didicit autem ab Epicuro, cujus sententiam unus sequa-



sequacium Velleius exposuit apud Ciceronem ante medium libri 1. de Nat. Deor. quod aeternum beatumque sit, id nec habere ipsum negotii quicquam, nec exhibere alteri; itaque neque ira neque gratia teneri; quod quae talia essent, imbecillia essent omnia. Quale delictum solis verbis Numen aliquod relinquit, re ipsa autem omne tollit, & tandem in illam quorundam impietatem recidit, totam de diis immortalibus opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus Reip. causa: ut quos ratio non posset, eos ad officium religio duceret; quod nonnullos dixisse Tullius sub libri illius finem testatur. Huc autem inimicam divinæ rerum gubernationi ac providentiæ opinionem relabi haut obscure Plinius innuit, & pariter mananti inde impietati isti subscribit: Deos, inquit, agere curam rerum humanarum credi, ex usu vita est.

XVII. Haftenus de existentia & attributis Dei, in Confessione commemoratis: ad quæ cætera, ut justitia, misericordia, veracitas, libertas, immortalitas, & hujusmodi, facile reducuntur: neque enim certis quibusdam positis, reliqua excludi putandum est. Quæritur autem, cujus generis doctrina eorum sit, & num inter articulos fidei referenda, nec ne? Nam illam non Theologi solum sibi vendicant, & ex Scriptura proponunt, verum Philosophi quoque profitentur, utpote principiis naturæ demonstrabilem. Thomas

ad 1.

part. 1. qu. 11. art. 11. respondet, Deum esse, & alia hujusmodi, quæ per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, non esse articulos fidei, sed præambula ad articulos: nihil tamen prohibere, illud, quod secundum se demonstrabile est & scibile, ab aliquo accipi ut credibile, seu ut articulum fidei, qui demonstrationem non capit.

pag. 107.

Petrus Tataretus in 1. Sent. dist. 11. qu. 111. articulos fidei in duplici differentia esse ait: quosdam mere creditos; quosdam non mere creditos. Articuli fidei mere crediti ipsi sunt, qui non possunt ullo pacto cognosci nisi per fidem, ut, Verbum caro factum est; Deus venturus est judicare vivos & mortuos. Non præcise & mere crediti,



diti, qui aliquà ratione naturali possunt cognosci; ut, Deum esse unum, & similes. Quæ cum distinctione coincidit illa eximii Theologi Alberti Graweri, principio libelli de Unica Veritate; res quasdam esse *mera revelationis*, quasdam *non mera revelationis*: quarum illas esse dicit, *quæ non nisi ex patefactione singulari divinâ sunt notæ*; ut, *mysteria Trinitatis, Incarnationis, & alia*: istas, quæ etiam naturâ quodammodo notæ sunt; ut, *præcepta Decalogi*. B. Gerhardus Methodo Studii Theologici part. II. sect. poster. c. I. p. 97. prioris generis objecta, *proprie notæ*; posterioris, *Scientiæ*, & eatenus, quatenus sciuntur ac naturaliter cognoscuntur, *non proprie fidei articulos* vocat. Alii sic efferunt ut dicant, articulo- rum fidei alios *simplices* sive *puros* esse; ut, *mysteria peculiari- ter in Scripturis divinis revelata*: alios, *mixtos*, qui etiam lu- mine naturæ cognosci quadamtenus possint; ut, *Deum esse, esse unum, bonum, & sic porro*.

XIIX. Res breviter ita habet. Potest unum idemque ab eodem simul sciri & credi, sed per media diversa. Sciri qui- dem, quando notitia ejus mediis ac principiis naturaliter cognitis arcessitur & demonstratur: Credi verò, quum propter auctoritatem divinam, tanquam *principium formale quo, seu rati- onem sub quâ*, assensus illi præbetur. Nec enim si mundum hunc conditum esse certa ac evidenti collectione scias, idemq; postea ob Scripturarum auctoritatē teneas fide; aut prius id credas, & tum, subministratis naturæ principiis, etiam demonstratione penetres; succedens sive fidei sive scientiæ notitia notitiam priorem perimit & expellit. Et ita recte docent Alexander Alensis parte III. Summæ qu. LXXIX. memb. III. Albertus Magnus in III. Sent. dist. XXIV. art. IX. Bonaventura in eun- dem Magistri locum qu. III. num. XXXVI. Henricus Gandaven- sis Quodlibeto VIII. qu. XIV. Durandus in Prolog. Sent. qu. I. n. XXXVIII. Gabriel Biel in tertium dist. XXIV. art. II. concl. II. & III. Gregorius de Valentia tom. III. disp. I. q. I.

F

punct.



punct. IV. §. II. Carolus Franciscus de Raconis parte I. Sum-  
mæ Philos. Disp. de Demonstrat. sect. III. q. IV. art. VI. prop.  
III. Christophorus Scheiblerus Operis Logici part. IV. c. XV.  
num. XCII. Quatenus autem dogma aliquod scibile est &  
evidenter demonstrari potest, eatenus uti ex *θεωρία* non  
dependet, nec fide divina creditur, sed etiam sub intelle-  
ctum iudicio & doctrinâ pollentis ethnici cadit, ita quoq; fidei  
nequit articulis annumerari: consideratum verò tanquam  
*θεῖον* & in Scripturis propositum, sic demum fide divi-  
na recipitur, & articulus est Christianæ religionis. Ergo  
omne divinitus inspiratum, nec tamen morale, religionis  
dogma, quatenus quidem est istiusmodi, fidei articulus vo-  
cari meretur, quamvis aliàs per causas aut effectus naturales  
eruat & innotescat. Ut tamen peculiariter revelata, &  
proclivi inde consequentiâ deducta, quæ lumine rationis in-  
vestigari nullo modo possunt, ab hisce quæ possunt, & in  
Scripturis nihilominus extant, distinguantur; illa non incom-  
mode *puri ac simplices*, item *mere crediti*, vel *meræ revelationis*  
articuli fidei, sive *proprie πῶς*, veluti Gerhardus efferebat;  
istæ autem *mixti*, vel *non mere crediti*, & *non meræ revelationis*,  
eoque significato minus rigido ac paulo latiori tales dicentur.  
Interim posterioris generis articuli fidei non prorsus impro-  
pii censendi, quin potius & ipsi proprii sunt, sed inferiori  
à prioribus gradu. Nam quodcunque ad mores non per-  
tinens religionis dogma Spiritûs S. afflatu in Scripturas rela-  
tum est, & hinc fide divina creditur, adeo ut nisi credatur,  
exortem faciat salutis æternæ, id proprie est articulus fidei.  
Atqui dogmata alterius ordinis sunt talia. Ergo & proprii  
nominis articuli fidei: salvo nihilominus discrimine, quod  
illi classis anterioris, altiori gradu constituentur; hi vero po-  
sterioris, minori. Nec enim quod gradu sequiore tale est,  
confestim improprie est tale, Gerhardus etiam quando πῶς  
*θεῖον*



*Instituta* rerum divinarum proprie fidei articulos non esse scribit, illa eatenus duntaxat, quatenus præcise talia sunt, considerat, & non uti Scripturarum monumentis sunt consignata. Ex quibus manifestum est, doctrinam de Dei existentia, unitate, æternitate, & cæteris, uti in Theologia Sacra & Confessione Augustana traditur, ad fidem pertinere, & creditu necessarios articulos complecti: traditur enim ibi & recensetur, non ut philosophicis rationibus, & argumentis Aristotelicis, sed uti immoto Dei verbo superstructa est.

XIX. Sequitur jam alterum constitutæ à Confessione thesæ orthodoxæ caput, quod in una *Symboli* tres sint personæ, ejusdem essentia, & potentia, & coætæna, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: sive, quod unus verus Deus sit tres illæ realiter inter se differentes personæ; & personæ istæ, non conjunctim tantum, sed etiam separatim, sint unus ille atque verus Deus, citra essentiæ multiplicationem. Duo igitur demonstranda veniunt: I. in una numero essentia divina, tria esse realiter distincta supposita, seu tres personas, quarum alia sit Pater, alia Filius, alia Spiritus Sanctus. II. Personarum istarum quamcunq; esse unum verum Deum. *Fides Catholica hæc est, ait Symboli Athanasiani autor, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur, neq; confundentes personas neque substantiam separantes. Alia enim est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. Sed Patris & Filii & Spiritus Sancti una est divinitas. Quod quidem mysterium summum est, & rationi humanæ impervium. Quis est enim, qui Deum Trinitatem esse scisset, nisi ipse sic innotescere voluisset?* ait Augustinus tract. xcvii. in Johannem. Certe quæ Dei sunt (mysteria divina) nemo novit, nisi Spiritus Dei, I. Cor. II, 11. Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare, Matth. XI, 27. Joh. I, 18. Recte itaque Thomas parte I. q. xxxii. a. I: *Im-* in Respons.



divinarum personarum pervenire. — Qui autem probare nititur Tri-  
nitatem personarum naturali ratione, fidei dupliciter derogat. Pri-  
mo quidem, quantum ad dignitatem ipsius fidei, quæ est, ut sit de re-  
bus invisibilibus, quæ rationem humanam excedunt. — Secundo,  
quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem. Cum enim aliquis ad  
probendam fidem inducit rationes, quæ non sunt cogentes, cedit in irri-  
sionem infidelium. Credunt enim quod huiusmodi rationibus innita-  
mur & propter eas credamus. Equidem cognitâ jam ex Scriptu-  
ris Sacro sanctâ personarum divinarum Trinitate, illustrari ea  
quodammodo & ab absurditate vindicari ex natura & petitis  
inde imaginibus, vel argumentis potest; id quod Patres non-  
nulli, & post eos Lombardus lib. I. dist. III. c. VI. & seqq. Gen-  
nadius Scholarius, Patriarcha Constantinopolitanus, Dialogo  
*Ἐν τῆς ὁδοῦ τῆς σωτηρίας ἀνθρώπων*, & Carolus Bovillus lib. I.  
Quæstionum Theolog. num. XIX. ac Dialogo I. de Trinitate,  
aliquanto post initium, aliique tentarunt: similitudines ta-  
men & deductiones, quæ afferuntur, suppositâ revelatione  
probabiles tantum congruentiæ sunt, ante revelationem ne  
quidem probabilitatem, etiam apud acutissimos Philosophos,  
habituræ. Quò & Petrus Tatarus tendit I. Sent. dist. III.  
qu. IX. docens, personarum divinarum Trinitatem per ima-  
gines cognosci haut posse à non credente, neq; cognoscente per  
fidem, i. e. lumine revelationis non illustrato: posse autem  
à credente & per fidem cognoscente, sive suppositis Scripturæ  
Sacræ testimoniis. Item, posse eam cognosci per imagines  
& similitudines rerum naturalium cognitione rememorativâ;  
qua quis sibi repræsentat, quod antea noverat; sed non cog-  
nitione primariâ, intellectui primùm & ante omnem aliam objecti  
istius notitiam ingeneratâ. (Quod alterum discrimen Tatarus  
ex Occamo desumpsit, eodemq; in materia hac Biel utitur  
I. Sent. dist. III. qu. IX. art. I.) Unde à vero aberrant Raymun-  
dus de Sabunde, Theologiæ Naturalis tit. XLVI I, & Bartho-  
lomæus



iomæus Keckermannus lib. 1. System. Theol. c. III. qui my-  
sterium hocce rationibus philosophicis demonstratum eunt.  
Ac licet Philosophi quidam gentiles ita loquantur, ut videri  
possint mysterii hujus notitiam habuisse: *non cognoverunt ta-  
men per rationem personarum Trinitatem, nec pluralitatem; quin  
neque potuerunt ullo pacto cognoscere, nisi habuerint aliquem  
habitum fidei. Unde qui dixerunt de Trinitate, aut locuti sunt non  
intelligentes, aut fidei radio illustrati; inquit Bonaventura in 1.  
dist. III. part. 1. qu. IV. n. XXII.*

XX. Sed ad rem ipsam accedamus: in qua Confessio  
protestatur, se nomine personæ uti ea significatione, qua usi sint in  
hac causa Scriptores Ecclesiastici, ut significet non partem aut qualita-  
tem in alio (quod Laurentius Vallæ de Linguæ Latinæ Elegan-  
tia lib. VI. cap. xxxv. voluit) sed quod proprie subsistat, hoc est,  
rationalis naturæ individua (& incommunicabilis) substantia sit:  
quomodo Severinus Boëthius definit post princip. lib. de  
Duabus Nat. & Una Persona Christi: sive, quod sit substantia  
intellectualis, ultimum existendi gradum & complementum  
habens: Vel brevius: Suppositum sit intellectuale. Subsi-  
stentiam Græci ὑπόστασιν dicunt, quas proinde voces pro-  
miscue Doctores usurpant. Non erat tamen olim ὑπόστασις  
nomen ita apud Catholicos vulgatum, nec ita ejus significatio deter-  
minata, ut modo; recte monet Lombardus lib. I. dist. xxvi. c. 1.  
Græci enim eo ὁσίας designant, illisque terminis indifferenter  
B. Athanasius cum alibi, tum in epistolis ad Liberium, Ec-  
clesiæ Romanæ Præfulem, utitur. Hinc Hieronymus ad  
Damasum, Episcopum Romanum: *Tota secularium literarum  
schola, nihil aliud hypostasin, nisi usiam novit. Et propterea mox  
addit: Sufficiat nobis dicere, unam substantiam, tres personas sub-  
sistentes, perfectas, æquales, cœternas. Taceantur tres hypostases,  
si placet, & una teneatur.* Idem Concilio Sardicensi placuit  
apud Theodoretum lib. II. Histor. Eccles. c. VIII. Interim  
factum



factum paulatim, ut communi consensu, & significato eodem, *ὑπόστασις* & *subsistentia*, pariter ac *ὑπόσωπον* & *persona*, ab ecclesiæ doctoribus reciperentur, & illæ abstractum, hæc concretum denotarent. Ideo autem Confessio Augustana, quid personæ nomine intellectum, & non intellectum velit, sollicitè declarat, ne forte existimetur, ipsius sententiâ essentiam divinam tribus personis quasi partibus constare, & singulas unum perfectumque, ut sic dicamus, Deum non esse. Quomodo personas in Deo concipiendas non esse, neq; ad naturam divinam se habere, pridem Augustinus ostendit lib. iv. contra Maximinum cap. x. quem sequitur Lombardus libro citato dist. xix, c. vii.

XXI. Personarum in una Deitate pluralitatem & realem distinctionem iis V. T. locis Theologi probant, quibus Dominus de se in multitudinis numero verba facit. Prostant ea Gen. I, 26. III, 22. XI, 7. Es. vi, 8. *Nec video*, ait B. Calixtus de Præcipuis Christianæ Relig. Capitib. disp. I. n. xxvi. *quomodo effugere possint Iudæi; quum non sit phrasis linguæ ad auctoritatem & majestatem loquentis referenda. Neque enim simile repererint in aliis, etiamsi magnifice loquentibus.* Et speciatim Trinitatem ostendunt ex Es. vi, 3: *Sanctus, Sanctus, Sanctus est Jehovah exercituum.* Quæ etiam Rabbini, Simeon Ben Johai, & Jonathan Chaldæus, de Personarum Trinitate interpretantur, teste Petro Galatino de Arcanis Cathol. Veritatis lib. II. cap. I. Simeonis verba sunt: *Sanctus, Hic est Pater: Sanctus, Hic est Filius: Sanctus, Hic est Spiritus Sanctus.* Jonathanis: *Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus Sanctus.* Hæc tamen in vetustissimis duntaxat Jonathanis codicibus haberi, è posterioribus autem deleta esse, Galatinus ibi observat. Sed & Christum ac Spiritum Sanctum, adeoque plures personas, fuisse, quibus *σεραφίμων* istud Seraphim concinuerint ex Joh. XII, 4. & Act. xxix, 25. intelligitur. Jam verò quum dubitari non possit, illum ipsum Hymnum ad Patrem quoq; pertinere



odem,  
ecclesie  
retum  
ersonæ  
clarat,  
tribus  
tum.  
nas in  
habe.  
m cap.  
ii.  
& rea-  
quibus  
stant  
Calix.  
xvi.  
ad au-  
simile  
ciatim  
Sanctus  
Ben  
nter-  
ritatis  
r: San-  
natha.  
Hæc  
haberi,  
vat. Sed  
ersonas,  
t ex Joh.  
m dubi-  
oq; perti-  
nere

nere; personarum illic celebratarum numerum Trinitate constare & absolvi, manifestum est. Alia Testamenti istius loca nunc prætereo. In Novoplane insignis est ille 1. Joh. v, 7: *Tres sunt qui testificantur in cælo, Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Quo dicto tria in Divinitate supposita, seu tres personæ, eæque vere ac realiter distinctæ, quarum alia Pater sit, alia Filius, alia Spiritus S. clare ac totidem ferè verbis enunciatur. Nec minus illustris est iste ipsius Christi Matth. xxii, 19: *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris, & Filii & Spiritus Sancti.* Et hic Pauli II. Cor. xiii, ult. *Gratia Domini Iesu Christi, & Charitas Dei Patris, & communicatio Spiritus Sancti, sit cum omnibus vobis.* Ut & iste Eph. ii, 18: *Per ipsum (Filius) habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem.*

XXII. Verùm distinctius adhuc de his agamus. Dico I. Patrem, Filium & Spiritum S. tres esse personas. Nam à quibus proficiscuntur operationes, non nisi suppositis & personis competentes, illa sunt utique supposita & personæ. Atqui à Patre, Filio & Spiritu S. operationes ejusmodi proficiscuntur. Ergo. Minorem probo. Tribuuntur enim illis in Scriptura creatio & conservatio rerum, justificatio, salvatio, consolatio, scrutatio omnium, testificatio, annunciatio doctrinæ, donorum distributio, vocatio & missio ministrorum, gubernatio ecclesiæ, judicium, & similia plura. Ac tametsi Lex Rom. iv, 15. vii, 1. *operari & dominari*; Peccatum Rom. vii, 11. *seducere*; Charitas I. Cor. xiii, 4. 6. 7. *longanimis & benigna esse, item congaudere, sufferre, credere, sperare, sustinere* dicatur: quæ personis alias propria sunt; cum interim Lex, Peccatum & Charitas non sint personæ: improprie tamen prædicata ista de illis efferri manifestum est, & quilibet intelligit.

XXIII. Dico II. Personas illas differre realiter, & Patrem



Patrem alium à Filio & à Spiritu Sancto, ac utrumque vicissim ab illo, & rursus horum alterum ab altero revera alium esse. (1) enim illis Novi Test. locis, quæ in fine n. XXI. citavi, personæ istæ tanquam prorsus distinctæ, & à se invicem aliæ, commemorantur. (2) expresse Servator Joh. v, 32: *Alius est* (nempe Pater) *qui testatur de me.* Cap. xiv, 16: *Ego (Filius) rogabo Patrem, & alium advocatum* (Spiritus Sanctum) *dabit vobis.* (3) Pater hoc ipso quod Pater est, Filium genuit; & Filius eo ipso quod talis est, à Patre est genitus. Unde Ps. 11, 7: *Filius meus es tu, hodie genui te.* Quæ esse Patris cœlestis ad Filium suum, Jesum Christum, ex Act. xiii, 33. & Hebr. i, 5. liquet. Et Joh. i, 14. 18. 11, 16. 18. Christus *Filius unigenitus à Patre:* ac Rom. 11 x, 32. *proprius Dei Filius* dicitur. Deinde constat, Patrem *mississe Filium* Gal. iv, 5. & utrumque *mittere Spiritum Sanctum,* Joh. xiv, 26. xv, 26 Luc. xxiv, 49. hunc item à Patre Filioque procedere. Hinc argumentor: Quæ ad se mutuo referuntur relatione reali, ea realiter opponuntur, & realiter distinguuntur. Sed gignens & genitus, mittens & missus, spirans & spiratus sive procedens, relatione reali ad se mutuo referuntur. Nihil enim se ipsum gignere, & spirare; nihil etiam se ipsum proprie mittere potest. Ergo. Jam Pater in Divinitate gignens, & Filius genitus, uterque item mittens & spirans; Spiritus vero Sanctus missus est & procedens. Ergo illi opponuntur & distinguuntur realiter. (4) Filio nonnulla attribuuntur, quæ nec Patri, nec Spiritui S. competunt: ut, conceptio, nati- vitas, passio, mors, resurrectio, in cœlos adscensio. Illum igitur alium ab his esse oportet. Deniq; (5) reali Personarum divinarum distinctione non admittenda, multa Scripturæ dicta, & inter hæc illa quæ produximus, sine omni sensu fuerint, & manifeste absurda. Qualem enim hujus sententiam feceris: *Ego rogabo Patrem, & alium advocatum dabit?* Vel istorum: *Per Filium habemus accessum in uno Spiritu ad Patrem. Novit me Pater*



*Pater, & ego novi Patrem. Pater me diligit. Hoc præceptum ac-  
cepi à Patre meo. Ego & Pater unum sumus: Joh. x, 15. 17. 18. 30.*  
Praxeas igitur, Noëtus, & Sabellius, dicti *θεοπαχίται*, realem  
illarum Personarum distinctionem temere sustulerunt, & unâ  
Deitatis hypostasi constitutâ trinominem eam fecerunt, quæ  
in V. T. legem tulerit ut Pater; in Novo carnem assumerit,  
& mortem subierit ut Filius; & Apostolis supervenerit ut  
Spiritus Sanctus; atque ob diversa illa munia alio atque alio  
nomine appelletur. Vide Tertullianum lib. adversus Praxeam  
cap. 1. Epiphanium hæc. LVII. & LXII. Augustinum hæc. xxxvi.  
& xli. Socratem lib. II. Hist. Eccl. cap. xv. Theodoretum  
lib. II. de Fabulis Hæreticorum.

XXIV. Distinctio hæc atq; relatio trium Deitatis persona-  
rum, quod ex dictis cognosci quodammodo potest, fundatur  
in actibus earum ad intra; in *actu dico generandi*, qui soli Patri  
competit, & ex quo paternitas resultat; in *generatione passiva*,  
soli competente Filio, ac filiatione fundante; & in *processione*,  
Spiritus Sancto propria; quam spirationem passivam vocant.  
Unde & actus isti atq; pendentes inde, seu super iis fundatæ,  
relationes, proprietates personales appellantur, quod vi ea-  
rum personæ constituentur, & realiter differant. Dicuntur  
etiam notiones personales, quia personæ per eas nobis inno-  
tescunt, ac dignoscuntur. Qua tamen locutione terminus  
*Notionis* capiendus est non subjective, pro actu notitiæ quæ  
sit in nobis, sed *objective*, pro actu sive ratione in persona exi-  
stente, per quam ipsa ejusque relatio ac differentia intelligatur.  
Solent Paternitati, Filiationi & Processioni addi *Innascibilitas*, qua  
Pater à personis cæteris; & *Spiratio activa*, qua ille & Filius  
à Spiritu S. distinguantur & dignoscantur. Verùm etsi discri-  
men aliquod gignant, & notiones quodammodo sint, non  
sunt tamen propriè & stricte *personales*, hoc est, relationem fun-  
dantes (personæ enim divinæ relativæ sunt, licet relatio in  
forma-



formali personæ conceptu non includatur) & uni supposito  
peculiares: quarum conditionum alterâ innascibilitas, quæ  
tantum principii negationem, & non relationem ad aliam per-  
sonam, significat; alterâ verò spiratio activa, utpote non soli  
Patri, vel soli Filio propria, sed utrique communis; è nume-  
ro notionum vere personalium excluditur.

XXV. Hic de Processione Spiritûs S. quæritur, à quo  
originem ducat; num à Patre solo, an verò etiam à Filio?  
Dicimus cum Ecclesia Latina, ducere ab utroque. De Pa-  
tre res manifesta est ex Joh. xv, 26. Procedere autem eum à  
Filio quoque (1) inde probamus, quia non minus ab hoc  
mitti dicitur l. c. quàm à Patre Joh. xiv, 26. cujus missionis  
proxima ratio ac fundamentum est missi à mittente processio.  
*Persona enim divina hoc ipso mitti dicitur, ait Valentia tom. 1.  
disp. 11. q. xvii. punct. 1. quod ex vi personæ alterius, ad quam  
secundum aliquem modum processionis habet relationem, incipit esse  
alicubi novo modo, quo ante non erat: ut exempli causa, per gra-  
tiam in mente hominis.* Qui tamen processionis modus heic  
non est ratione imperii & mandati, vel consilii & persuasio-  
nis, aut alius cujusdam similis; eò quod minorem in misso  
vel potentiam vel sapientiam declarat, qualis aliena utique  
est à divina Spiritus S. persona. Obtinet igitur processio  
secundum subsistentiæ originem. Confer Thomam part. 1.  
qu. XLIII. a. 1. (2) Idem ex Joh. xvi, 13. 14. 15. patet: ubi quæ  
Spiritus Sanctus Apostolis annunciaret, à Filio accepisse legi-  
tur. Jam scientia denunciandarum rerum, quæ in Spiritu S.  
est, ejusque subsistentia, à parte rei idem sunt. Accipit autem  
ille scientiam à Filio: Ergo & subsistentiam: h. e. à Filio  
procedit.

XXVI. Errat igitur Ecclesia Græca, quæ id negat, &  
Spiritus S. à solo Patre procedere docet. Multo rectius non-  
nulli veteres doctores Græci Latinorum sententiam amplexi  
fuerunt;



fuerunt; quorum dicta hinc subijcimus. Gregorius Thaumaturgus, Episcopus Neocæsariensis in Fidei Expositione, uti quidem eam Bartholomæus Caranza Summâ Conciliorum, in recensione Synodi Constantinopolitanæ II. recitat: *Unus est Spiritus Sanctus, ex Deo subsistentiam habens, & per Filium existens.* Symbolum Athanasianum: *Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus S. à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Didymus Alexandrinus paulo post medium libri II. de Spir. S. *Salvator, qui & veritas, ait: Non enim loquetur à semetipso, hoc est, non sine me, & sine meo & Patris arbitrio, quia inseparabilis à mea & patris est voluntate: quia non ex se est, sed ex Patre & me est, hoc enim ipsum quod subsistit & loquitur, à Patre & me illi est.* Rursus: *Spiritus Sanctus — hoc ipsum est quod profertur à Filio, id est, procedens à veritate, consolator manans de consolatore.* Mox iterum: *Non alia substantia est Spiritus Sancti præter id, quod datur ei à Filio.* Basiliius M. initio libri III. contra Eunomium: *Spiritus Sanctus à Filio esse habet, & omnino ab illa causa (principio) dependet.* Quæ etsi in codicibus quibusdam desunt, in vetustissimis tamen leguntur. Epiphanius hæc. LXXVI. in Confutatione capitis xxxv. Aëtii: *Hæ (creaturæ) sunt de nihilo create, & non adorandæ. Trinitas autem semper est, & non creata: Pater, pater perfectus: Filius, filius perfectus, ex Patre genitus: & Spiritus Sanctus, spiritus perfectus, ex Patre procedens, & de filio esse ab æterno accipiens; sive accipiens per emanationem, & non per creationem: nam tò accipere de Filio ab Epiphanio productioni per creationem opponitur.* Item in Ancorato post medium: *Vita est totus Deus: igitur Vita ex Vitâ (ex Patre) est Filius. — Spiritus autem sanctus ab utrisque, spiritus ex spiritu.* Chrysostronus homil. I. de Symbolo: *Iste est Spiritus, de Patre & Filio procedens.* Et homiliâ II: *Istum Spiritum Sanctum dicimus, — procedentem de Patre & Filio.* Cyrilus



lus Alexandrinus epistolâ x. ad Nestorium: *Est Spiritus Sanctus Spiritus veritatis nominatus; & veritas Christus est; & procedit ab eo, quemadmodum & ex Deo Patre. E recentioribus Gennadius Scholarius, Patriarcha Constantinopolitanus, non procul ab initio Dialogi: Pater generat Filium seu Verbum suum, & à Patre & Filio procedit Spiritus sanctus. Hæc illi.*

XXVII. Cæterum quæ intima sit proprietatum & notionum divinarum, generationis activæ ac passivæ, & processionis Spiritûs S. ratio, & quo ea formali discernantur, explicari nequit. Unde ut in aliis mysteriis omnibus, ita hîc maxime intellectus noster sub fidei obsequium cogendus & captivandus. *Generatio Filii, inquit Epiphanius hæc. LXXVI. omnem excludit rationem syllogisticam, & transgreditur investigationem & ratiocinationem omnem, corruptibilium imprimis hominum. Ambrosius lib. de Fide ad Gratian. c. v: Mibi impossibile est generationis scire secretum, mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed etiam angelorum. Item: Licet scire quod natus sit Filius Dei, non licet discutere quemadmodum natus sit. Gregorius Nazianzenus Orat. IV: Dei generationem cum silentio veneremur. Magnum quid tibi sit intelligere, quod sit genitus: quo autem modo, id ne angelis quidem cogitandum, tantum abest, ut tibi permittamus. Et Oratione XXIX: Audis generationem: quo ea pacto fiat, argute ne indagato. Audis Spiritum esse, qui procedat à Patre: id quo pacto fiat, curiose ne perscrutator. Paria prorsus Athanasius habet Dialogo I. de Trin. nec non Augustinus lib. III. contra Maximinum c. XIV: Spiritus, inquit, non dicitur Filius Patris & Filii, sed procedens ab utroque. Quid autem inter Nasci & Procedere interfit, de illa excellentissima natura loquens explicare quis potest? Non omne, quod procedit, nascitur, quamvis omne procedat, quod nascitur. Hac scio. Distinguere autem inter illam generationem, & hanc processionem non scio, non valeo, non sufficio; quia & illa & ista est ineffabilis. Damascenus de*



de Orthod. Fide lib. I. c. x: *Generationis & processio-  
tis esse dicimus: at quis differentiæ modus, nequaquam.* Sane nescire  
quæ Deus nescire nos voluit, pia & erudita ignorantia est;  
ipsumq; hoc scire, quòd scienda non sint, pars veræ sapientiæ.  
Sufficit igitur, Filium à Patre genitum novisse, ac Spiritum S.  
procedere ab utroque, & quidem tanquam ab uno & subsi-  
stentiam & divinitatem conferente principio.

XXIX. Ita constat, Patrem, Filium ac Spiritum S.  
& verè personas esse, & realiter inter se differre, licet neque  
subsistentiæ neque differentiæ eorum modum Scriptura no-  
bis revelaverit. Cum autem personæ illæ divinæ sint, essen-  
tia verò divina una tantùm, patet, in una illa essentia tres esse  
personas, re ipsa & ita distinctas, ut una minime altera existat.  
Et quidem personis hisce Deitatem inesse, ex testimoniis  
num. XXI. productis intelligi potest. Sed disertius id nunc  
ostendendum. Venio igitur ad secundum demonstrationis  
nostræ, & Mysterii SS. Trinitatis membrum, quod est, tres  
illas vere subsistentes, & à se invicem realiter distinctas per-  
sonas, esse singulas unum verumque Deum. De Patre nemo  
hæreticorum dubitat; suntque ad probandam divinitatem  
ejus textus perspicui Joh. III, 16. 17. XVII, 3. Gal. IV, 4. Filii  
autem & Spiritus S. *θεοτης* nonnulli, Christianorum nomen  
mentiti, ac cum his Judæi, arietare & dejicere nituntur;  
quæ proinde pluribus asserenda.

XXIX. Primò itaque Filius cum in Veteri tum in  
Novo Test. absolute & sine restrictione, seu additione mi-  
nuente, Deus dicitur. In Veteri Es. IX, 6. quod comma et-  
iam Targum Jonathanis de Messia accipit. Es. XXXV, 4.  
Jer. XXIII, 6. XXXIII, 16. In Novo Joh. I, I. XX, 28. Act. XX,  
28. I. Tim. III, 16. Hebr. III, 4. Judæ, 4. Quò dicta refero,  
quibus Christus Deus & Dominus cum epithetis vocatur;  
ut Rom. IX, 5. *Deus benedictus in secula; Tit. II, 13. magnus*  
*ille*



*ille Deus*; 1. Joh. v, 20. *verus ille Deus*; 1. Cor. ii, 8. *Do-  
minus gloria*. Deinde in V. T. non pauca de vero Deo, sed  
tamen sine personæ certæ determinatione, perhibentur &  
prædicantur, quæ in Novo de Filio leguntur exposita. Con-  
ferantur inter se & considerentur Num. xxi, 6. & 1. Cor.  
x, 9. Ps. lxxviii, 19. & Eph. iv, 8. Ps. xcvi, 7. xlv, 7. cii,  
26. cx, 1. & Hebr. i, 6. seqq. Es. vi, 1. 2. 3. & Joh. xii, 40,  
41. Es. xl, 3. & Matth. iii, 3. Marc. i, 3. Luc. iii, 4. Joh. i, 23.  
Tum Christus naturalis & proprius atque unigenitus Dei  
filius est, ut antea vidimus, Patrisque sui *imago, splendor &  
character*, Coloss. i, 15. Hebr. i, 3. Ut autem naturalis homi-  
nis filius homo est, ita naturalis Dei Filius est Deus. Præ-  
terea attribuuntur Filio Dei propria divina, ut *Immensi-  
tas*, Joh. i, 13. *Æternitas*, Mich. v, 2. Prov. viii, 22. seqq.  
Joh. i, 1. Hebr. xiii, 8. *Omnipotentia*, Apoc. i, 8. *Omniscien-  
tia*, Joh. ii, 24. 25. xxi, 17. 1. Cor. iv, 5. Colos. ii, 3. Apoc. ii,  
23. Attribuuntur item ei operationes divinæ, ut rerum o-  
mnium *Creatio*, Joh. i, 3. Colos. i, 16. Hebr. i, 2. 10. *Conservatio*,  
Joh. v, 17. Col. i, 17. Hebr. i, 3. *Resuscitatio mortuorum*, Joh. v, 21.  
vi, 39. 40. & miracula alia, propriâ virtute facta: *Liberatio è pec-  
catis*, seu *collatio vitæ æternæ*, Matth. i, 21. Joh. x, 28. Act. iv, 12.  
& *Donatio Spiritus Sancti*, Joh. xv, 26. xvi, 7. xx, 22. *Quomodo au-  
tem Deus non est, qui dat Spiritum Sanctum? imo quantus Deus est,  
qui dat Deum?* ait Augustinus l. xv. de Trin. c. xxvi. Debetur  
etiam Filio cultus divinus & religiosa adoratio, non minus  
quam ipsi Patri, Joh. v, 23. Phil. ii, 9. 10. 11. Hebr. i, 6. Cui au-  
tem cultus religiosus, & operationes ac proprietates divinæ in  
Scriptura tribuuntur, is procul dubio Deus est. Postremò,  
æque in Filii quam Patris nomine baptismus confertur Matth.  
xxix, 19. Act. ii, 38. Rom. vi, 3. Gal. iii, 27. Baptismus autem  
est lavacrum regenerationis & renovationis, quæ principaliter  
non nisi à Deo proficiscuntur. Unde qui medium eas con-  
ferendi



ferendi instituit, adeoque in cuius nomine medium istud consequimur, illum Deum esse oportet.

XXX. Iisdem modis Spiritus Sancti Deitatem probamus. Primo enim expresse & absolute Deus dicitur Act. v, 3, 4. Ex quo loco sic argumentamur: Cui præter Apostolos Ananias mentitus est, is est Deus. Spiritui Sancto præter Apostolos mentitus est Ananias. Ergo Spiritus S. est Deus. Eo quoque nomine 1. Cor. III, 16. 17. simpliciter appellatur: qui versus huiusmodi suppeditant syllogismum: Cujus templa fideles Corinthii erant, is Deus est. Nam Paulus ait: *An nescitis, vos esse templum Dei.* Item: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Atqui Spiritus S. templa fideles Corinthii erant. Rursus enim Apostolus: *An nescitis, spiritum Dei, sive Spiritum S. habitare in vobis, & vos ejus templa esse?* quomodo & 1. Cor. VI, 19: *An ignoratis, inquit, corpus vestrum esse templum Spiritus Sancti, qui est in vobis?* Ergo Spiritus S. est Deus. Secundo patescit Divinitas ejus ex collatione quorundam Veteris & Novi Test. locorum, quæ ibi de Jehovah, vero illo Deo, dicta, hîc Spiritui S. accommodantur. Vide Es. VI, 9. & Act. XXVIII, 25. 26. Ps. xcvi, 7. 8. & Hebr. III, 7. 8. Jer. xxxi, 33. & Hebr. x, 15. Licet etiam ita argumentari: *Qui locutus est per os sanctorum Prophetarum, is est Dominus Deus Israël,* Luc. I, 68. 70. Sed Spiritus Sanctus per os eorum locutus est: *Non enim libitu hominis allata est olim prophetia, sed acti à Spiritu Sancto loquuti sunt sancti Dei homines,* II. Pet. I, ult. idemque ex collatione, quam dixi, perspicuum est. Tertio, adscribuntur ei divinæ proprietates; ut, *Immensitas*, Ps. cxxxix, 7. & *Omniscientia*, 1. Cor. II, 10. ubi Apostolus: *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunditates Dei.* Si autem, ut valide Paschasius ratiocinatur lib II. de Spir. S. cap. I. *hominis occulta cognoscere divinitatis est proprium, quanto magis scrutari profunda Dei summi, in persona Spiritus Sancti majestatis insigne est.* Adscribuntur etiam illi opera divina; ut, *Crea-*

tio,



zio, Ps. xxxiii, 6. *Iustificatio, Sanctificatio, Salvatio*, I. Cor. vi, ii. Tit. iii, 5. *Donum miraculorum*, I. Cor. xii, 9. *Vocatio ministrorum ecclesie*, Act. xx, 28. Et cap. xiii, 2: *Dixit Spiritus Sanctus: Separate mihi Barnabam & Saulem ad opus, ad quod eos advocavi. Quæ vox*, ait Didymus Alexandrinus initio libri ii. de Spir. Sancto, *divinitatis & autoritatis index, non creatam, sed increatam substantiam monstrat. Neque enim Spiritus Sanctus in aliud quoddam opus vocavit Barnabam & Paulum, quod non sit Patris & Filii, cum ministerium, quod eis commisit & tradidit Spiritus, Patris & Filii sit ministerium. Deniq; sicut in nomen Patris ac Filii, ita & Spiritus S. baptizamur, Matth. ult. 19. Et Tit. iii, 5. baptismus dicitur lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti; sive lavacrum per quod Spiritus S. regenerationem ad vitam æternam, & sanctificationem præstet ac efficiat. Tale autem opus Deum autorem habere, antea diximus.*

XXXI. *Hæc de Divinitate Filii & Spiritus S. Cum ergo quælibet S S. Trinitatis persona verus Deus; essentia autem divina una numero sit; liquet, personas illas non esse tres Deos, sed unum numero Deum: idque in Symbolo Patres Nicæni significant, quando credendum proponunt, Christum esse Θεὸν ἐκ Θεῶν, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεῶν ἀληθινῶν, ὁμοῦσιον τῷ Πατρί: Deum de Deo, Deum verum de Deo vero, consubstantialem Patri: sensus enim est; Filium à Patre distingui ut personam à persona, & essentiam tamen unam eandemque cum illo habere. Quod autem hîc de Filio, idem etiam de Spiritu S. valet. Symbolum Athanasianum: Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus S. & tamen non tres Dii, sed unus est Deus. Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus S. & tamen non tres Domini, sed unus est Dominus. Quia sicut sigillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur: ita tres Deos aut tres Dominos dicere catholica religione prohibemur. Et hinc Confessio Augustana, Scripturas ac consensum catholicum secuta,*

tres



tres illas personas *eiusdem essentia*, consequenter & *potentia*, ac *coeternas* esse, profitetur.

XXXII. Majoris evidentia causa sic argumentor: Verus Deus est unus numero Deus; docente & ratione & Scriptura. Sed Pater verus Deus est; & Filius est verus Deus; estq; Spiritus Sanctus verus Deus: quod itidem, non ratio quidem, Scriptura tamen revelat, e qua & liquido id ostendimus. Ergo tres haec personae divinae, sunt unus numero Deus. Deinde: Qui sunt unus numero Deus, eandem habent numero essentiam, & potentiam, suntque coeternae. Pater, Filius & Spiritus S. sunt unus numero Deus. Ergo eandem habent essentiam, ac potentiam, & coeternae sunt. Minor est demonstrata, & prioris syllogismi conclusio. Major etiam patet; quia essentia, & id, cuius est essentia, re ipsa idem sunt: unde ut Deus, eo ipso quod Deus & unus numero seu res singularis est, multiplicari & in inferiora dividi nequit; ita nec essentia eius: adeoque oportet, eandem numero essentiam habent, quibus divinitas inest, sive, qui sunt unus numero Deus. Porro verò, essentiam necessario consequuntur, & cum ea reciprocantur affectiones suae, talesque haec sunt, qualis est illa. Quorum igitur eadem numero est essentia, eorum & proprietates ab essentia manantes eadem sunt. Jam summa potentia & aeternitas, tanquam attributa, essentiam divinam intime comitantur; proindeq; qui unus numero Deus sunt, & eandem numero essentiam divinam habent, non possunt non ejusdem potentiae, & coeternae esse. Signate dixi, quorum eadem essentia est, illorum easdem esse proprietates *essentiales* seu *ab essentia manantes*: de proprietatibus enim *personalibus* non valet. Et hinc quando Confessio Augustana personis divinitatis potentiam eandem tribuit, illam utique vult intellectam, quae ex natura divina promanat, & cum ea convertitur, non aliquam notionalem & personae ut personae propriam.

H

XXXIII.



XXXIII. Atque ob hanc τὴν αὐτὴν τῆς ἰσότητος ac proprietatum essentialium identitatem, & trium istarum personarum *aqualis est gloria, ac coaeterna majestas*, veluti Symbolum Athanasianum confitetur; & persona una in alia inhabitat, eamque intime permeat, secundum illud Joh. i, 18: *Unigenitus Filius est in sinu Patris*. Et Christus ipse ait Joh. x, 38: *Cognoscite & credite, Patrem in me esse, & me in eo*. Inhabitationem illam Græci *ἁποχρίσεως* Latini, *Circuminseffionem* vocant, quam Scholastici, & inter eos Johannes de Rada part. i. Controv. xx. art. i. in explan. Scoti, definiunt, *alicujus subsistentis in subsistente realiter distincto, mutuam & intimam presentialitatem in eadem natura numero*. Haecenus de Thesi.

XXXIV. In Antithesi Confessio damnat omnes hæreses contra hunc de Unitate essentiae divinæ, & personarum in ea Trinitate, articulum exortas, ut *Manichæos*, qui cum Manete suo duo principia ponebant, *Bonum & Malum*, sive duos sibi contrarios Deos; Christi; Divinitatem oppugnabant, eum cum Ophitis antiquum illum serpentem, primorum hominum seductorem, impie perhibentes. Legantur Epiphanius hæ. LXVI. & Augustinus hæ. XLVI. & XVII. Damnat *Valentinianos*, quorum antesignanus Valentinus quidam & ipse duo finxit rerum principia, *Profundum & Silentium*, è quorum commixtione cætera genita sint, testibus Irenæo lib. i. c. v. Epiphanio hæ. xxxi. Augustino, hæ. xi. Damnat infelicem Arii progeniem, *Arianos*, notos illos & pervicaces Deitatis Christi & Spiritus S. hostes, qui eorum Patrisq; substantiam ita dividebant, ut illum creaturam Patris ante secula conditam; istum, creaturam creaturæ, nempe Filii, & proin utrumq; Patre minorem dicerent. Vide Epiphanium hæ. LXIX. Sulpitium Severum lib. ii. Hist. c. XLIX. Augustinum hæ. XLIX. Epistolam Synodi Nicenæ ad Ecclesiam Alexandrinam apud Socratem lib. i. Hist. in princ. c. vi. Theodoretum Dial. ii. c. iv. & xvii.



& XVII. c. vi hæresi contraria est paulo ante adducta Sabellii, Personas Trinitatis confundentis, imò secundam & tertiam omnino tollentis. *Alter dividit essentias*, ait Theodoretus citato cap. IV. *alter personas confundit. Arius quidem tres essentias in Ecclesiam importat: Sabellius unam personam pro tribus ponit.* Et Vigilus initio lib. II. contra Eutychem: *Sabellii perfidia Arrii damnat errorem: Arriani dogmatis error Sabellii impietatem excludit: siquidem Sabellius unius naturæ probabili quidem confessione deceptus, Trinitatis unam putavit esse personam, ut ex hoc, quod una natura trium est, una intelligeretur esse persona. Contra Arrius tres substantias (relative sumtas) atq; distinctas, sicuti & vere sunt, personas accipiens, tres eorum dissimiles credidit esse naturas.*

XXXV. Damnat porro Confessio nostra Arianorum tribules, *Eunomianos* sive *Aëtianos* (Aëtius enim antecessor & præceptor erat Eunomii) *dissimilem per omnia Patri asserentes Filium, & Filio Spiritum Sanctum.* Augustin. hæ. LIV. Epiphan. hæ. LXXVI. Theodoret. Dial. II. cap. IV. Damnat *Mahometistas*, qui negata Trinitate unam solùm personam divinam agnoscunt; & Christum quidem magnum Prophetam, Verbumque Dei, non tamen Deum, & naturalem Dei Filium confidentur, eo argumento nisi, quod nulla sit Deo conjux, ex qua suscipere filium possit. Sic enim Alkorani Surata LXXII: *Non habet sociam Deus; itaque nec filium.* Quasi videlicet is, à quo & rerum generatio & generandi modus dependet atque institutus est, quique plus potest, quam nos mente complecti, nequeat nisi animalium more, & non ratione longe eminentiori atque ineffabili, pro conditione naturæ suæ, gignere; & quasi Pater Filiusque in Divinitate non possint altioris esse significationis, quam ejus, quæ in humanis locum habet, maris cum fœmina commercium connotans seu supponens. Sed vide de hisce Hackspanium libro de Fide & Legibus Mohammædis, posit. I. II. IV. seqq. Johannem Andream




dream Maurum tractatu Confusionis Sectæ Mahometanæ  
cap. xi. Mornæum de Verit. Relig. Christ. c. xxxiii. Hu-  
gonem Grotium in ejusdem argumenti libro vi. Damnat  
*Samosatenos veteres*, Pauli Samosatani asseclas, dictos etiam  
ab hyperaspiste Photino Syrmienti Photinianos, (quorum  
propago hodierni Sociniani sunt) qui Trinitatis plenitudi-  
nem, Filiique divinitatem, ac Spiritus S. personalitatem ne-  
gabant, & Christo quasi nudo homini originem ex Maria ad-  
scribebant, eo ab Arianis divisi, quod illis eum ante secula  
creatum dicentibus, ipsi per conceptionem in utero Matris  
cœpisse statuerent. Epiphan. hæ. lxxi. Augustin. hæ.  
xliv. Vincentius Lerinens. Commonit. c. xvii. Vigilus  
lib. i. contra Eutychem. Theodoret. lib. ii. Dial. c. iv. Damnat  
*Samosatenos neotericos*, Michaëlem Servetum, & quotquot  
Samosatani ac Photini hæresin renouent. Hi enim *cum*  
*tantum unam personam, nempe Patris, esse contendant, de Verbo*  
*& Spiritu Sancto astute & impie rhetoricantur, quod non sint perso-*  
*næ distinctæ,* (hoc Photinum docuisse Lerinensis testatur) *sed*  
*quod Verbum significet verbum vocale, & Spiritus motum in rebus*  
*creatum.* Deniq; damnat omnes horum similes, id est Marcitas  
Heracleonitas, Cerdonianos, Marcionitas, Apellitas, qui  
principia duo; & Tritheitas, qui principia tria, sive tres  
Deos, somniarunt: Priscillianistas, Sabellii errori addictos;  
& Carpocratianos, Cerinthianos, Ebioneos, Theodotianos,  
qui Deitatem Christi; Macedonianos, qui Divinitatem Spi-  
ritus Sancti negarunt. Videantur Irenæus, Augustinus,  
Epiphanius de Hæresib. Tertullianus de Præscript. Theodo-  
retus de Fabb. Hæret. Paschasius libb. de Spiritu Sancto.  
Nobis hîc receptui canendum est.

os (o) de













B.I.G.

Farbkarte #13

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres  
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

6  
VUM THEOLOGICARVM  
IN  
STANAM.  
SSIONEM  
CVNDA  
VÆ EST  
CVLVM PRIMVM  
DE  
O ET TRINO  
V A M  
SIVS OPE  
RÆSIDE  
CORIXNERO  
DOCTORE, EIVSQVE  
S. PVBL. ET OR-  
DINARIO  
LEO MAGNO  
IEM V. JUN.  
CE SVSTINEBIT  
WILHELMVS MADERVS  
F. SCHENINGENSIS.  
∞(o)∞  
LMÆSTADII,  
DAVIDIS MULLERI Acad. Typ.  
NO CIO IIC LXXV.

7460